DISSERTA

INAU

SCAR

ET EJU

NVENT

D. GEORGII

EMIÆ EDINB

SENATUS

FACULT

Pro Gra

QUE IN MEDICIN

RITE ET LEGIT

ERUDITORU

GEORGI

ARTIS OBSTETRICIÆ

KALENDIS AUGUSTI,

EDIN

EXCUDEBA

MDCC

(9.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SCARLATINA
ET EJUS SEQUELA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS PEARSE,

Hibernus,

ARTIS OBSTETRICIÆ NOSOCOM. DUB. PERMISSUS.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

To James Woodford with [illegible]
[illegible] iments of the Author

VIRO EXIMIO

ANTONIO MANN, M. D.

CORCAGIÆ

ARTIS MEDENDI PERITISSIMO,

NECNON,

BENIGNITATE ET MORUM SUAVITATE

INSIGNI,

OMNIBUSQUE VIRTUTIBUS,

QUIBUS

HOMO VEL MEDICUS ORNARI POTEST,

PRÆDITO;

HOC OPUSCULUM,

PROPTER

PLURIMA BENEFICIA, VERÆQUE AMICITIÆ

TESTIMONIA,

SÆPE IN EUM COLLATA,

(PIGNUS QUIDEM PEREXILE),

SACRUM ESSE

VULT

AUCTOR.

What dire necessities on every hand
Our art, our strength, our fortitude require!
Of foes intestine, what a numerous band
Against this little throb of life conspire!
Yet science can elude the fatal ire
A while, and turn aside Death's level'd dart;
Sooth the sharp pang, allay the Fever's fire,
And brace the nerves once more, and cheer the heart,
And yet a few soft nights and balmy days impart.

BEATTIE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA

ET EJUS SEQUELA.

GEORGIO PEARSE Auctore.

MIHI proposui, in his paginis, de Scarlatina tractare, morbo contagioso qui epidemicus fatalis grassatur, et ætatem florentem, cui sæpius incidit, ad mortem præmaturam perducit.

Merito hoc malum medicorum attentionem occupavit, ex quo tempore primum in Europa apparuit, anno ut fertur MDCIV, quum LUDOVICUS MERCATUS, PHILIPPI Hispaniæ Regis medicus, historiam ejus conscripsit. Deinde in omnes Europæ terras dispersum est, visumque in

Britannia anno MDCLXXXVIII ibique pestis instar sævivit. Tum cum Rubeola confundebatur: Doctor FOTHERGILL Cynanchen Ulcerosam appellavit, et Doctor COTTON sub nomine Scarlatinæ descripsit.

Diu inter medicos disceptatum est, sitne hic morbus idem atque Cynanche Maligna, an diversus. Non animus est, in arenam de ea re descendere, cum multi et celeberrimi viri possent in utramque opinionem adduci; at mihi, si fas est quæ censeam proferre, morbos omnino diversos nec varias tantum ejusdem formas esse videntur. Quam sententiam confirmant scripta SYDENHAMI, SAUVAGESII, et clarissimi CULLENI, cujus verba sunt: "In all the instances I have seen of what may be called the Scarlet Fever, the disease, in almost every person affected, has been attended with an ulcerous sore throat. This view of the matter may create some doubt; but I am still of opinion, that there is a scarlet fever which is a disease specifically different from the cynanche maligna."

Hi morbi valde diversas habent curandi indicationes: ideoque in animo est solummodo de Scarlatina Simplice, et Scarlatina Anginosa dicere.

DE NATURA MORBI.

Morbus contagiosus est, quià veneno peculiari originem trahit; etiam ægri contactu, inoculatione, inspiratione propagatur. Raro cuivis sæpius quam semel per totam vitam incidit. Doctores tamen Gregory, Heberden, aliique dixerunt sibi contigisse videre, qui hoc morbo iterum laborarent; at contendunt Doctores Withering Clarke, et Currie non posse fieri, ut eundem bis afficiat.

Juvenes utriusque sexus, præcipue debiliores, infestat.

> O Death, why arm with cruelty thy power,
> And spare the idle weed, yet lop the flower!

Sed interdum totas familias corripuit, senes pariter ac juniores. Ex mente Doctoris Heberden infantes duos annos nondum nati, vetulæque rarissime ab ea affectantur. Scarlatina plerumque sub finem autumni vel apud initium hiemis obvenit, sed nulla anni tempestate desunt ejus exempla.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Hæ sunt cœli vicissitudines subitæ; ex aëre calido et sicco in frigidum, vel humidum, mutatio; debilitas e variis causis, ut morbo prægresso, vel fatigatione, diæta tenui et nimis parca; quibus adnumerare licét, in aëre impuro habitationem; corporis immunditiam; statumque ætheris peculiarem, et qui verbis definiri non potest.

De natura hujusce contagionis nihil certi cognoscitur; nullos edit effectus ultra paucos ab ægro passus. Quamdiu in corpore deliteat minime constat; affirmat Doctor Heberden se vidisse morbum apparere post diem tertium, quartum, vel quintum postquam aliquis infectioni objectus fuerat. Non minime mirandum est contagionem communicari, non modo dum morbus adest, sed etiam ad diem usque decimun, ex quo omnia symptomata recesserint.

CLASSIFICTIO ET SYMPTOMATA.

In Classe *Pyrexiarum* et Ordine *Exanthematum*, in Nosologia CULLENI, ponitur Scarlatina.

Species sunt duæ: sequentia verba habet prima, nempe :—

Scarlatina (Simplex) nulla comitante cynanche.

Altera :—

Scarlatina (Cynanchica) cum cynanche ulcerosa.

Scarlatina Simplex.

Scarlatina Simplex, cum signis solitis pyrexiæ incipit, nimirum, lassitudine, debilitate, languore, anxietate, nausea et vomitu; adsunt quoque rigores, dolor capitis, et lumborum, mentisque aberratio, et sub vesperem omnia symptomata ingravescunt. Circa diem secundum rubra apparet efflorescentia super cutem, maculis perexiguis intertincta, quæ præcipue in facie et cervice videtur, et die tertio vel quarto in universum corpus diffunditur, coalescentibus maculis, at febre haud omnino remissa. Hoc tempore

fauces et nares rubri sunt, nec tamen ulcerati; a die quarto usque ad septimum in squamulas parvas a facie decidit efflorescentia; manuum epidermis in laminas magnas separatur; et partes infra positæ relinquuntur tenerrimæ. Pulsus, præsertim dum cutis rubet, celer et durus; ictusque inter centum, et centum et quadraginta, in sexagesima horæ parte edit.

Media lingua albida est, rubri margines. Delirium mite nonnunquam oritur. Urina limpida et pallida est; diaphoresis erumpit, qua omnia signa levantur; calor minuitur, pulsus plenior et validior fit, desquamatio continuatur, cuticula in squamulas furfuraceas abiens, cito renovatur; et æger in pristinam sanitatem resurgit.

Scarlatina Cynanchica vel Anginosa.

Febris, ut supra, in forma simplice descripsi, in hac perstat, sed multo gravior; oppressio præcordiorum, nausea et vomitus, tremores artuum cum calore ardente alternantes, dolorque capitis tendens usque ad lumbos, ægrum maxime vastant: languor et debilitas magis urgent; et dum caput et truncum graviter incommodat calor,

manus et pedes contra frigoris sensus vexat; musculi colli, maxillæ inferioris, rigidi sunt, nec possunt exerceri sine magno incommodo. Pulsus celer et durus est; delirium nocte appropinquante urgens, mane decedens, alvusque pertinaciter adstricta. Manent tamen quædam signa adhuc enarranda, quæ genus hoc et constituunt, et distingunnt. Secundo enim vel tertio die ex quo morbus incepit, prodit in cutem efflorescentia, colore coccineo, et in congeries colligata: sensus angustiæ in faucibus existit, cum difficultate deglutitionis; lingua sicca et rubra; sitis urgens; et, ex pharyngis inspectione, inflammatio multaque tumefactio super velum pendulum palati et tonsillas videntur; et membranam mucosam tegunt complures vesiculæ albæ, quæ coalescentes ulcera profunda efficiunt, et liquorem acrem effundunt. Brevi tempore usque ad membranam Schneiderianam serpit inflammatio, et cutem circa nasum labrumque superius defricat. Glandulæque parotideæ et submaxillariæ tument, et saliva copiose fluit. Tertio vel quarto efflorescentiæ die, lingua rubra est, papillæ tumescunt, et pellicula abraditur, faucesque sordibus fuscis teguntur. Eruptio dissimilis est illi quæ in sim-

plice apparet: maculæ super cervicem et thoracem diutius persistunt: calor major est præcipue cutis, et molestior, quasi ex acuum punctura; et deinde tumescentia ita augetur ut surditas, ob clausam tubam Eustachianam, efficiatur, et vox rauca fiat et fere amissa.

Nonnunquam in junioribus, acris faucium secretio in ventriculum fluit, diarrhœam tenesmumque gravissimum excitat: ac, per anum effluens, cutem circum ejus extremitatem excoriat; pulsus parvus et debilis fit; æger noctem insomnis absumit; vigiliæ succedit coma, cum magna debilitate. Sæpe bronchiæ, vel aliqua e visceribus abdominis inflammantur: et omnia signa ingravescunt, donec mors benigna vitæ tam miserandæ finem tandem imponat.

Si hæc infausta absint, inter dies septimum et decimum, sudor erumpit; cutisque eruptio gradatim evanescit; desquamatio, cum caloris imminutione, succedit; tumores faucium dissipantur; cutis rubor in colorem fuscum abit; ulcera fœda mitescunt, sanumque pus secernunt, et cito evanescunt. Attamen Scarlatinæ formam vel mitissimam non raro sequitur Anasarca. De qua re fusius posthac dicendum erit.

DE DIAGNOSI.

Scarlatinæ similitudinem gerunt morbi complures, præsertim quos Exanthematum ordini subjecit Cullenus, nempe Variola, Rubeola, Roseola, et Erysipelas.

In Variola, febris eruptiva plerumque gravissima est; non ante diem quartum vel quintum apparet eruptio; at, priusquam videtur, sub cute quasi grana tenuissima arenæ, tangenti percipiuntur. In Scarlatina cutis ab initio rubet; die secundo vel tertio efflorescentia, cum difficultate deglutitionis, occurrit; et cum eruperit, febris haud levatur. Post diem quartum eruptio variolides discrimen facit, adeo manifestum, ut supervacuum sit plura de eo dicere.

Inter rubeolam et scarlatinam haud levis momenti est, in primo statu discernere, cum curationes longe diversas exigant. In illa raro ante diem quartum, nunquam ante tertium prodit efflorescentia; deinde in maculis rubris, distinctis, elatis, circumscriptis, et tactui asperis apparet. Cutis rubor non lucidus sed purpureus est; efflorescentia in forma semilunarum colligitur: in scarlatina, ut supra dictum est, aliter res se habet.

Adest in rubeola coryza, sternutatio, tussis rauca, cum excreatione muci acris; palpebræ tument, oculi rubri sunt, sed non lucem refugiunt.

In Roseola febris plerumque adeo levis et fugax est, ut vix possit cum Scarlatina confundi: sub primum vesperem cutis colore roseo suffunditur, qui dies solummodo duos vel tres permanet; non contagiosa est hæc affectio, nec calor multum, uti semper in Scarlatina, augetur.

Erysipelas, in omnibus partibus corporis, post operationes chirurgicas, vulnera, vel stimulantia cuti admota, videtur accidere. Ubi a causis provenit quæ systema generale afficiunt, maxime super faciem, crura et pedes apparet; partes quæ laborant tumidæ sunt, cum sensu gravitatis et dolore ardente; rubor circumscriptus est, tarde prorepit, et antequam recedat, ad colorem subflavum sensim vergit.

Quum species Scarlatinæ de quo loquimur multum a Cynanche Maligna differt, non difficilis erit diagnosis. Hanc ostendit febris typhoides cum pulsu parvo et debili, magna virium imminutione, spirituque fœtido. Adsunt faucium ulcera, quæ nigra crusta teguntur; qua sublata, partes sub ea positæ gangrænosæ reperiuntur. Quæ signa simplex forma nunquam exhibet.

DE PROGNOSI,

Quo Scarlatina formæ simplici propinquior, eo magis fausta est. Sed ubi febris gravis est, urgentque cynanches anginosæ symptomata, augetur periculum: sed multum ab ætate, viribus et sexu ægrotantis, multum quoque a natura epidemici existentis pendebit; juvenes et debiliores utriusvis sexus, fœminæ præsertim, sævitiæ ejus difficilius obstant.

Ubi pulsus et calor non multum urgent; capitisque dolor, dyspnœa et inflammatio pharyngis absunt; cum febris levis est, simul cum eruptione recedens; si sudor mitis erumpit; atque imprimis si vis corporis non minuitur; optima quæque prædicere licet.

Quæ ingratam faciunt prognosin hæc sunt; febris urgens, cum pulsu duro et abnormi; calor statum naturalem valde superans, (quippe qui in hoc morbo sæpe ad gradum 105um vel 107um, et etiam usque ad 112um * Fahrenheitii surgit); molestia ægri cum vespertino paroxysmo ingravescens; efflorescentia citro retropulsa; vel diarrhœa oriens difficile sistenda.

---

* Currie.

RATIO MEDENDI.

Consilia medendi præcipua sunt.

1mo, Ineuntem febrem moderare vel ita minuere ut terminatio cito inducatur.

2do, Ubi status excitationis recesserit, symptomata quæ sequuntur mitigare, irritationesque amovere.

3tio, Post febris remissionem, vires ægri medicamentis tonicis sustinere.

Denique, Affectiones, quæ in sequela occurrunt, depellere: quarum *Anasarca* princeps est.

Scarlatina simplex inter morbos mitissimos est, utpote quæ vix unquam periculosa sit, si apud initium curam alvo præbeamus, ut, catharticorum leniorum exhibitione, regularis fiat; si calor corporis lavatione aqua frigida, diæta tenui potuque subacido minuatur, et si ægri cubiculum aëre puro refrigeretur. Ubi gravior est forma simplex, eadem remedia, quæ in Scarlatina Anginosa, indicantur; de quibus nunc agitur.

Affusio Frigida.

NULLA hodie inter medicos dubitatio est, quin affusio frigida in hac aliisque exanthematis exhi-

beri debeat; et cum cutis calor, in hujusce morbi excitatione, (quæ per dies tres vel quatuor primos semper adesse videtur), altius quam in ullo præterea morbo assurgit, haud absurdum est putare, plurimum beneficii ex ejus usu proventurum. Ubi adsunt calor ardens, pulsus celer, et cutis ruberrima, cum sensu anxietatis magnæ, lingua sicca, sitique urgente; æger in dolium immitti debet, et aqua frigida inter gradus 48um et 52um Fahrenheitii, in eum libere effundi: deinde, probe siccatus, in lectum imponendus est. Cutis calorem et ariditatem minuit, sudorem mitem inducit, sitim quoque restinguit, actionemque pulsus auctam ad statum naturalem propriorem reducit; et, irritatione sic depulsa, somni desiderium incidit. De hac Doctor BATEMAN, " it is not only the most effectual febrifuge, the ' febrifugium magnum,' but it is the only sudorific and anodyne that will not disappoint the expectation of the practitioner." Si calor iterum revertat, necesse erit remedium hoc sæpius per diem, fortasse ad quintam vel sextam vicem, repetere. Post diem tertium affusio vix et ne vix quidem febrem abrumpit; at semper utilis est ad gravitatem ejus mitigandam: ubi cutis madescit et fauces ulceribus teguntur, de

usu hujus remedii ambigitur; si adsit debilitas, et æger a lecto suo moveri non possit, magis convenit, ut corpus aqua frigida, vel cui acetum sit admixtum, lavetur. Aqua frigida hoc modo applicata effectus suos edere videtur, æque calorem morbosum e corpore abstrahendo, tum systema generale conquassando, quo magis ad cutis perspirationem aptetur: minuit etiam cordis et arteriarum actionem. Cum recesserit status excitationis, post diem tertium vel quartum, affusio aquæ a gradu 98° ad 102um Fahren. calefactæ, potius erit; quæ irritationem mitigare, sudoremque inducere, observatur.

Sanguinis Missio.

In Scarlatina simplice rarissime opus est detractione sanguinis; at in anginosa nuper medicorum attentionem sibi attraxit; et procul dubio multum sæpe proficit, cum morbus remediis solitis, purgantibus scilicet et affusioni, cedere recusarit, nempe cum febris gravis est caput maxime afficiens, et hydrocephalus formidatur, vel si inflammatio in tracheam vel pulmones tendat.

Tumor faucium vel hirudinibus vel epispasti-

cis subsidit, et vix scalpelli opus deposcit. Sanguis per durationem febris detractus semper crusta coriacea tegitur. Si calor cutis nunquam augeatur, nec pulsus unquam acceleretur, et si ulcera faucium fœda sint, venæsectio inutilis erit vel etiam injuriosa; semperque in memoria tenendum est, depletionem in sequela hujus morbi necessariam fore, ideoque caute ab initio esse usurpandam.

Purgantia.

OLIM multum melior medicorum pars de usu purgantium dubitarunt; metuebant enim ne debilitas induceretur; at tandem observationes Doctoris J. HAMILTON utilitatem eorum in hoc et in aliis morbis, in quibus antea neglecta sunt, comprobarunt. Nunc bene noscitur quanti intersit alvum liberam servare; quod, cum affusione, in multis exemplis sufficit, et alia remedia supervacanea reddit. Adstrictis intestinis, optimum medicamentum invenitur plenum catharticum ex submuriate hydrargyri, et pulvere convolvuli jalapæ; quod, nisi alvus plene respondeat, post paucas horas repetendum.

Cavendum autem est ne diarrhœa occurrat; et, si accidat, medicamentis astringentibus cito

reprimi debet. Ab omnibus admittitur usum purgantium prohibere, ne accedat hydrops vel morbi inflammatorii, qui nonnunquam inter convalescentiam oriuntur. Si morbus levis est, purgantia mitia (qualia sunt sales neutrales, vel infusum sennæ), subinde adhibita, ut alvus laxa teneatur, sufficiunt.

Emetica.

MEDICAMENTA quæ vomitum excitent in initio morbi laudantur, quippe quæ cursum ejus abscindant; si primo vel secundo die exhibeantur, proficiunt ventriculum exonerando, præcipue si adsit nausea, et interdum in morbi progressu proderunt, secretionem viscidam removendo quæ in pharynge accumulatur, et recepta in intestina, diarrhœam gravem excitat. Caute tamen adhibenda sunt, ne mobilitas ventriculi vel debilitas augeatur.

Gargarismata.

MATERIA acria quæ in faucibus colligitur, emundari debet, ulceraque nitidari, collutoriis quibusdam sæpius quotidie adhibitis; et in junioribus, qui nequeunt gargarismata solito more

sumere, fauces debent ope syphonis lavari. Hoc consilio usurpatur, aqua cum acido muriatico, infusum Rosæ Gallicæ, cum pauxillo acidi sulphurici, vel infusum corticis cinchonæ cum vino rubro; at si humor acerrimus sit, gargarisma ex tinctura Capsici annui utilius repertum est.

Supra de Scarlatina Simplice monui, ut aër purus in tentorium ægri admittatur, lectusque stragulis levibus tegatur; quæ etiam in forma graviori necessaria sunt. Non cibo animali nec aliis rebus stimulantibus vesci debet; potu acidulato utendum est, et fructibus acidis (veluti succo Citri medici fructuque tamarindorum condito) vel acidis mineralibus. Medicamenta tonica per statum febrilem, et (nisi debilitas insolita oriatur) donec efflorescentia evanuerit, prohibenda. Vires deinde ope corticis cinchonæ in forma pulveris reficeantur; infantibus qui eam devorare non possunt, infusum ejusdem vel decoctum melius convenit. Vinum caute adhibendum est, ne actione inflammatoria aucta, morbus iterum ingravescat; cibus facilis concoctu ex jusculo animali et vegetabilibus farinaceis, ad vires reficiendas, concedi potest.

DE SEQUELA.

Affectiones inflammatoriæ præcipue huic morbo succedunt, sive sanguinis ad partes quasdam corporis determinationes; cujus generis sunt Phrenesis, dolores Rheumatismo similes, de quibus hujus opusculi fines nihil amplius dicere sinunt, nisi quod solitis remediis cedant.

Majoris momenti est Anasarcam considerare, quæ sæpissime Scarlatinam sequitur. Ejus quoque causa est actio inflammatoria (sub-acutam dicunt), qua vasa exhalantia stimulantur ad liquorem tenuem in telam cellulosam effundendum, nonnunquam per totum corpus, sed plerumque in faciem et extremitates inferiores; vel in cavitates magnas, comitantibus Hydrocephali, Hydrothoracis, vel Ascitis indiciis. Hæ affectiones incerto tempore apparent, nunc post paucos dies, nunc in sexta vel septima hebdomade.

Pulsus plerumque celer et parvus est; sitis urgens; urina parca et colore rubro; vexant etiam dyspnœa capitisque dolor.

Curatio.

Attentionem medicorum excitavit Doctor Abercrombie ad usum venæsectionis in isto hydrope depellendo; qui ex ipsa origine depletionem postulare videbatur: cujus utilitatem comprobarunt multorum medicorum testimonia.

Morbus cum levis est, sæpe purgantibus et diureticis cedit. Symptomatis præcipue dyspnœæ ingravescentibus, sanguinis, pro ætate ægrotantis, abstractio extemplo solamini erit. Pulsus quoque plenus et mollis fit, urina antea parca, nunc copiosa fluit, medicamenta diuretica bene agunt, et sensus oppressionis generalis amovetur. In iis qui nondum annum quartum vel quintum complevere, præstantius est paucas hirudines temporibus aliisve locis, prout res exigere videatur, applicare; sed, in iis qui hanc ætatem transierint, sanguinis detractio est nunquam negligenda.

Secundum Doctorem J. Hamilton, purgantia ad curationem perficiendam sufficiunt: ex his, combinatio pulveris Convolvuli jalapæ vel Aloës socotorinæ, cum submuriate hydrargyri, multum laudata est; et, purgantium leviorum usus, per aliquid temporis postquam malum recesserit, ad-

hiberi debet. Ubi effusio occurrit, medicamenta diuretica indicantur; eorum Scillæ maritimæ et Digitali purpureæ, cum submuriate hydrargyri, maxime fidendum est; sed in delectu multum a judicio medici pendebit. Ad accelerandam convalescentiam, cibus lautus, aër rusticus, medicamenta tonica, cinchona et acida mineralia, conferunt.

Jam ad finem meæ historiæ perventum est, quam, ut potui, adumbravi; et quoniam voluntas minime defuit, ignoscatis quæ fortasse commiserim, neve negligentiæ aut incuriæ attribuatis.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 2. lin. 12. *pro* videntur. *lege* videtur.
—— 12. — 21. —— *Afusio* —— *Affusio*
—— 13. — 14. *lege* statum naturalem propriorem reducit;
—— 18. — 19. *pro* situs *lege* sitis

hiberi debet. Ubi effusio occurrit, medicamenta diuretica indicantur; eorum Scillæ maritimæ et Digitali purpureæ, cum submuriate hydrargyri, maxime fidendum est; sed in delectu multum a judicio medici pendebit. Ad accelerandam convalescentiam, cibus lautus, aër rusticus, medicamenta tonica, cinchona et acida mineralia, conferunt.

FINIS.